



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm  
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,  
Speciatim**

**Coninck, Gilles de**

**Antverpiae, 1623**

Dvb. IX. Quænam necessariò necessitate medij explicitè credenda sint, vt  
quis poßit iustificari?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)



Constat, quia Apostolus loco supra citato docet, impossibile esse placere Deo sine fide; de qua ante dixerat, eam esse substantiam rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, quæ scilicet post mortem accepturi sumus, & hic cognoscere naturaliter non possumus: unde ibidem, præsertim v. 15. docet, omnes sanctos, qui olim in fide excelluerunt, defuisse terrena & præsentia, ut cælestia, & a cognitione nostra remota consequerentur.

107

Trident.

Arausic.  
August.  
Iohan. 6.

CONCLUSIO III. Fides ad iustitiam necessaria debet esse supernaturalis ex parte sui principij, siue proficiat ab auxilio Dei supernaturali. Est etiam communis Doctorum, & aperte definita in Trident. sess. 6. can. 3. vbi dicitur anathema ei, qui dicit nos viribus naturæ sine Dei auxilio posse credere, sperare, &c. prout requiritur ad iustificationem. Idem definitur in Arausic. c. 5. & sæpissimè docet S. Augustinus contra Pelagianos; & aperte habetur Iohan. 6. vbi dicitur, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Vbi Christus agit de accessu per fidem, ut aperte patet ex adiunctis.

108

Turrian.

CONCLUSIO IV. Per absolutam Dei potestiam fieri potest, ut quis sine fide supernaturali ex sola cognitione naturali (qua naturæ lumine cognoscit Deum super omnia amandum); & ex fide humana (qua credit viris fide dignis, à quibus audiuit Deum contritis remittere peccata, & bene viventibus promittere vitam æternam) per auxilium Dei speciale, quo voluntas eius adiuuetur, veros actus spei, caritatis ac cognitionis supernaturales eliciat, ac ita se ad iustificationem disponat. Ita plures viri docti, quos tacito nomine citat Turrian. 2. 2. q. 25. dub. 3. Et eandem, ut consequenter loquantur, necessariò tenent ij, qui docent actum supernaturalem & naturalem posse versari circa idem obiectum formale. quos citavi disp. 5. dub. 1.

Probatur Primò, quia nulla vel apparens potest ostendi implicantia ob quam id fieri nequeat, ut patebit ex solutione argumentorū: ergo hoc non est diuinæ potentia negandum.

Secundò, quia, ut patet in hæreticis, potest quis, præsertim posita Dei reuelatione, naturali cognitione, siue fide humana cognoscere siue credere Deum esse summè diligendum, peccata esse derestanda, & vitam æternam nobis bene operantibus promissam, id quæ planè constanter ac firmiter, præsertim si eius voluntas diuina gratia adiuuetur. Item poterit voluntas eius ea cognitione excitari ut Deum tanti boni fontem aliquo modo diligit, & peccatum oderit, ac illa bona à Deo speret (nam videmus aliquos hæreticos sine fide supernaturali, firmiter dicta credere, & sibi æternam salutem firmiter promittere); quare si Deus specialiter eum eius voluntate concurrat, illi actus erunt perfecti & supernaturales.

109

Actus intellectus naturalis &amp; supernaturalis reddunt obiectum voluntati æqualiter appetibile.

Tertiò, quia ideo præcisè actus intellectus est absolutè prærequisitus ad volendum, quia voluntas nequit ferri in obiectum, nisi perceptibiliter ei proponatur; atqui siue obiectum aliquod voluntati proponatur fide naturali siue supernaturali, æqualiter est nobis perceptibile, & æqualiter voluntas commouetur: ergo si ex

parte sua æquale habet auxilium, æquales in vitroque casu actus poterit elicere.

Minor probatur: quia aliàs ex diuersa perceptione obiecti, ac motione voluntatis possemus ipsa experientia percipere nos habere fidem supernaturalem; & hunc actum clarè distinguere à fide naturali: quod experimur esse falsū. Quare quòd fides aut cognitio naturalis dicitur improporcionata ad eliciendum actum voluntatis supernaturalem, non est intelligendum ei deesse proportionem physicè & ex naturæ rei necessariò requisitam: sed accipiendum est de proportionem moraliter, & ad decentem convenientiam requisita, quia scilicet, ut dixi nu. 99. omnino conuenit, ut homo ad finem supernaturalem tendat actibus tam ex parte intellectus quam voluntatis supernaturalibus: ideoque Deus firmiter statuit ne hoc aliter sufficienter ad salutem obtinendam fiat; nec enim est vlla ratio quæ aliud probet.

Ad primum argumentum positum num. 94. nego assumptum; nam ad veritatem illius dicti sufficit sine fide placere Deo esse impossibile ex decreto Dei, quod sufficienter ex Scripturis colligimus, ut patet ex dictis.

Ad secundum, nego antecedens: ut patet ex dictis n. præcedenti.

Ad tertium, nego maiorem. Ad prob. nego assumptum: nam ut firmiter aliquid sperem, non est omnino necessarium ut id planè infallibiliter siue modo omnino infallibiliter cognoscam: sed sufficit quòd id firmissimè credam, ut patet in hæreticis, qui firmissimè sibi promittunt vitam æternam, quam tamen modo ex se fallibili cognoscunt. Nec refert, quòd hæc spes sit falsa; quia hoc non fit, eò quòd eorum cognitio sit ex se fallibilis, sed quia fundamentum, quo eorum spes nititur, est falsum. In casu autem conclusionis nostræ etiam fundamentum illius spei fortè cognitione fallibili cognoscitur, tamè ipsam in se esse verissimam ac certissimam. Adde, si talis crederet Deum nobis illa promississe, quia clarè videt Ecclesiam hoc docere, eius cognitionem fore omnino certam; nam niteretur Ecclesiæ doctrina euidenter cognita, quæ fallere non potest.

## D V B I V M IX.

Quenam necessariò necessitate medijs explicite credenda sint, ut quis possit iustificari?

DEiis, quæ necessariò nobis credenda sunt agit D. Thom. 2. 2. q. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. docet, quæ nos tenere explicitè credere ea, per quæ efficiamur beati, scilicet tam obiectiue (qualia sunt ea ad quæ necessariò terminatur visio beatifica) quam effectiue (qualia sunt merita Christi & gratia Dei); sed ipse non agit illis articulis de illis solis, quæ necessariò necessitate medijs credenda sunt, sed etiam de ijs, quæ ex præcepto credenda sunt; nos autem hic agimus de solis prioribus, de alijs autem dubio sequenti agemus.

Ut autem distinctius procedamus, Notandum est Primò, nos id explicitè credere, quod secundum se distinctè cognitum particulatim credimus: implicitè verò credimus id, quod secundum se.

Intellectus naturalis siue supernaturalis reddunt obiectum voluntati æqualiter appetibile.

110

112. Quæ dicuntur explicite credenda, quæ implicitè.



secundum se nobis ignotum, aut saltem non creditum; virtute continetur in alia propositione, quam distincte credimus. v. c. qui expresse credit omnia esse vera, quæ credit Ecclesia Catholica, implicite credit Deum esse trinum & vnum, Christum esse incarnatum, &c. etsi hæc forte ignoret; item secundum eos, qui dicunt actum fidei non posse consistere cum actu scientiæ circa idem obiectum, qui per naturalem demonstrationem sciunt Deum esse, & credit eum factum esse hominem, implicite credit eum esse, cum tamen id explicite & secundum se nequeat credere.

113 Nota Secundò, nos hic de iis non agere, qui numquam vti sunt ratione; nec etiam querere quænam iusti teneantur credere, vt possint in iustitia perseverare. Iusti enim ad hoc nullus actus fidei propriè est necessarius necessitate mediæ, nisi forte per accidens, quatenus sine eo non possunt aliquod præceptum hîc & nunc obligans implere. Quare etsi iustus nullum vniquam actum fidei eliciat, si in eo contra nullum præceptum peccet, non oberit ei quo minus in iustitia perseveret. Quamuis si diu utens ratione viuatur, fieri nequeat quin aliquo præcepto perse aut per accidens ad varios actus fidei eliciendos obligetur; excusabitur tamen in iis, quæ inuincibiliter ignorabit.

114 Similiter non agimus propriè de eo qui in fide sufficienter est instructus circa omnia mysteria necessariò credenda, quæque aliquando actu explicito credidit, & retinet circa ea fidem habitualement, & solam caritatem amisit; nam cum hic habeat habitum fidei, ac moraliter loquendo censetur adhuc perseverare in actuali fide, quam semel habuit, nec vniquam reuocauit, ex parte intellectus est sufficienter in Deum conuersus, (sicut tom. 1. de Sacram. q. 64. a. 8. dub. 5. dixi de eo qui habuit aliquando sufficientem dispositionem ad susceptionem Sacramenti, & postea ante illius reuocationem, in amentia baptizatur, aliudvè Sacramentum suscipit) & noua conuersio in Deum per actum fidei tenus in eo vt iustificetur solum requiritur, quatenus hic necessarius est vt voluntas eos actus eliciat qui ei hîc & nunc ad iustificationem necessarii sunt. Quare cum fieri possit, vt talis sit sit immemor sui peccati, subito excitetur ad actum caritatis, atque ita iustificetur (vt ostendit tom. 2. de Sacramenti, disp. 2. dub. 6.) solus ille actus fidei tunc erit ei necessarius qui alicui iusto necessarius est vt actum caritatis eliciat. Ita Lorca 2. 2. disp. 22. n. 15.

Proptèr igitur solum hîc agimus de homine adulto vtente ratione, qui habitu fidei caret, aut mysteria fidei ad salutem necessaria numquam explicite credidit, & querimus qualis fides explicita sit ei ad salutem necessaria?

115 Nota Tertiò, omisso statu hominis in paradiso (de quo agemus disp. 17. dub. 1.) triplicem alium hîc posse considerari. Primò, quem habuit homo post lapsum in lege naturæ. Secundò, quem habuit sub lege veteri. Tertiò, quem habuit sub lege gratiæ: de singulis enim sunt diuersæ aliquorum sententiæ.

Nota Quartò, exceptis quibusdam, quos

citauimus 92. & 93. Doctores ferè communiter admittere, tali homini ad iustificationem necessitate mediæ quouis tempore fuisse necessarium explicite credere, aut alia saltem ratione sufficienter cognoscere ea quæ necessariò cognoscenda sunt, vt possimus Deum vero cultu latræ, siue tamquam Deum colere, & veram beatitudinem ab eo sperare. Quia sine huiusmodi cognitione fieri saltem connaturaliter nequit, vt nostra voluntas se verè à peccato in Deum conuertat, prout decet eam conuerti, vt à peccatis liberemur, & in filios ac heredes Dei acceptemur; quæ conuersio sicut est medium naturaliter necessarium vt peccator conuenienti modo in filium Dei assumatur, ita ex decreto Dei est medium ad hoc absolurè necessarium; iuxta dicta n. 100. Quod etiam clare patet ex Apostolo ad Hebræos 11. vbi docet, *Hebr. 11.* impossibile esse sine fide placere Deo, quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus eum remunerator sit; scilicet illa remuneratione, quam, vt docuit initio capitis, ab eo speramus, quæ est vita æterna.

116 Hinc sequitur, esse necessarium necessitate mediæ vt credat Primò, Deum esse verè Deum: item eum esse vnum, increatum & omnipotentem: quia aliàs non crederet eum verè esse Deum, sed aliquid aliud, quod Deus non est. Secundò, Deum esse principium seu creatorem totius vniuersi: quia aliàs nec haberet dignam de Deo existimationem, si eum quasi in alienum domicilium in hunc mundum introductum crederet; nec posset eum vera latræ adorare; quia per hanc testamur Deum tamquam rerum omnium primum principium, summum habere in omnia dominium ac potestatem. Tertiò, Deum habere rerum omnium providentiam: quia aliàs nec posset incitari vt ad eum tamquam ad suum seruatorem ac protectorem confugeret, aut vt ei pro acceptis beneficijs gratias competenter ageret; quia non conciperet hæc ex Dei beneficio sibi prouenire; imò nec dignum Deo de Deo haberet conceptum, quia non conciperet eum vt rectorem & gubernatorem mundi, aut talem, quem debeat colere, eiusque gratiam expetere: nam si Deus non habet rerum nostrarum providentiam, parum curat quid agamus, aut an eum colamus nec ne; imò Deus hæc ne quidem consideraret, cum hæc considerare & curare sit pars siue actus providentiæ & gubernationis circa vniuersum.

117 Quartò, Deo virtutem placere & vitia esse odio, & consequenter eum esse vindicem peccatorum & remuneratorem bonorum operum: quia aliàs nequit concipere quomodo bene gubernet vniuersum siue hunc mundum, nisi concipiat eum punire peccata, & præmia bonis operibus reddere. Item nisi credat Deo displicere vitia, & virtutes placere, nequit talem de Deo habere cognitionem, quæ ipsum à vitis ad virtutem conuertat, siue quæ in ipso sit nata excitare contritionem, aut etiam attritionem. Nec enim possum odissè vitia, quia Deo displicent, aut quia ipse ea punit, nisi credam Deum

Quam o-  
mnes neces-  
sario credē-  
da admittat.

Quæ fides  
nec caria  
si peccatori  
fidelis ad iu-  
stificationē.

Lorca.



ea odisse ac punire: ut autem à peccato iustificer, necesse est me de peccatis conteri, aut saltem atteri cum susceptione Sacramenti; & consequenter necesse est me habere talem circa Deum & peccata fidem, quæ in me nata sit excitare contritionem aut attritionem. Nam sicut in voluntate ad iustificationem necessaria est necessitate mediæ contritio aut attritio cum Sacramento; ita ad eamdem in intellectu necessariam est fides, quæ dictos affectus nata sit excitare.

118. Dices Primò, Potest fieri ut talis non cogitet de suis peccatis, & excitetur in Dei amorem ex sola cognitione bonitatis ipsius, & sic iustificetur. Respondeo, ad iustificationem non sufficere qualemcumque amorem Dei; sed debere esse talem, qui contineat virtutem contritionem, siue qui naturaliter & necessariò excitet contritionem in eo, qui memor est se esse in peccato: nam aliàs in adulto posset esse remissio peccati sine ulla omnino etiam virtuali contritione, aut dolore de peccato. quod est contra apertam doctrinam Concilii Trident. sess. 14. c. 4. de Sacramento pœnitentiæ. Talis autem amor Dei virtute continens contritionem nequit esse in eo, qui omnino ignorat peccata Deo displicere. Quamvis enim is, qui habitualiter scit Deum summè odisse peccata, posset excitare in se verum actum caritatis, qui virtualiter sit contritio, etsi nihil omnino actu cogitet de peccatis, siue an hæc Deo displiceant: secus tamen est de eo, qui hoc ignorat; quia alter actu sic est affectus, tam intellectu quàm voluntate, ut si ei occurreret cogitatio peccati, statim conciperet id Deo displicere & ut tale detestaretur; secus est de eo qui hoc ignorat: quare alterius amor continet virtutem contritionem, huius autem non.

119. Nec refert quòd hic fortè Deo singulariter concurrente possit ex amore Dei in voluntate ita esse affectus, ut statim summè odisset peccatum si sciret id Deo displicere. Quia hinc solum sequitur, talem habiturum virtutem contritionem si haberet sufficientem de Deo cognitionem; siue nisi esset ille defectus in intellectu; ex quo consequenter sequitur aliquis defectus in voluntate. Adde, nos hic non querere quid de potentia Dei absoluta fieri possit, sed quid conveniat fieri, atque ita de potentia Dei ordinaria fieri possit: ex dictis autem satis patet minùs convenire, atque ita secundum Dei præsens decretum fieri non posse ut Deus ei peccata remittat, qui ne virtualiter quidem de iis dolet. unde etiam ulterius sequitur, non convenire Deum carenti fide ad talem dolorem omnino necessaria dare eiusmodi auxilia, quibus ipsum super omnia amet; & consequenter fieri non posse, ut ea fide carens eliciat verum actum caritatis Dei.

120. Dices Secundò, ut docet Trident. sess. 14. c. 4. ut quis iustificetur per Sacramentum, sufficit attritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati: atqui poterit aliquis hanc turpitudinem sufficienter concipere, eamque detestari, etsi ignoret eam Deo displicere: ergo cum hac ignorantia poterit sufficienter at-

teri, ut per Sacramentum iustificetur.

Respondeo negando minorem: quia cum Concilium ibi loquatur de attritione supernaturali (nam naturalis nequit esse dispositio ad iustitiam etiam per Sacramentum acquirendam) non debet intelligi loqui de quavis consideratione turpitudinis peccati; sed de ea, quæ fit cum aliquo respectu ad Deum, siue qua Deus offendatur, siue qua considerem peccatum esse valde turpe quod Deum ita graviter offendit. Nam loquitur de consideratione turpitudinis peccati, quæ movet peccatorem non solum ad huius detestationem, sed etiam ad desiderium veniæ & reconciliationis cum Deo, quia requirit attritionem coniunctam cum spe veniæ: talis autem consideratio nequit esse in eo, qui ignorat Deum peccatis offendere; nam spes veniæ supponit offensam; nec possum sperare veniam ab eo, quem non offendi.

His adde Primò, fieri non posse ut dignam de Deo opinionem habeam, imò ut verè credam eum esse Deum, & tamen absolute ignorem ipsum peccatis offendere; quia non offendi peccatis, siue hæc non odisse nimis aperte repugnat illi summæ bonitati. Hinc nulla ratio tam barbara reperitur, quæ Deum esse fateatur, & tamen ignoret eum peccatis offendere; quantumvis multi credant eum quibusdam actionibus non offendi, quæ verè peccata sunt, quia non putant has esse peccata.

Adde Secundò, hoc ipso quo Apostolus supra docet, accedentem ad Deum debere credere Deum esse remuneratorem inquirentibus eum, scilicet per bona opera, simul aperte docere eum teneri credere Deum virtuti præmium reddere, & consequenter punire vitia: hæc enim coniuncta sunt & ad eundem pertinent.

Quintò, debet explicitè credere animam esse immortalem, & post hanc vitam pro meritis accepturam præmia vel supplicia. Pater, quia Apostolus supra docet, accedentem ad Deum debere credere quòd inquirentibus ipsum remunerator sit; loquiturque de remuneratione æterna, quam post hanc vitam expectamus, ut patet ex initio capitis & vers. 15. ut etiam supra ostendi: nisi autem quis credat animam esse immortalem, & post hanc vitam superesse aliam, in qua Deus pro meritis præmia aut supplicia reddit, ipse satis nequit intelligere, quomodo Deus reddat præmia virtuti, & supplicia peccatis, cum hoc in hac vita sapissimè nō faciat; nam videmus hic sapissimè bonos affligi, & malos omnibus commodis affluere.

Sextò, debet explicitè credere se non posse suis viribus à meritis erui, & æterna illa præmia consequi; hoc enim omnino necesse est ut cum requisita demissione animique subiectione, & convenienti in Deum fiducia sine præsumptione, ad eius amicitiam & æterna præmia aspiret; & consequenter, ut sufficenter à peccatis ad Deum tamquam ad suum iustificatorem & patrem convertatur: neque enim sufficienter est dispositus ut convenienter tanta bona à Deo recipiat, qui hæc ab eo nullo modo sperat accipere; nec ea à Deo sperare potest, qui putat se ea non Dei auxilio, sed suis viribus debere assequi. Neque et-

Non omnia detestatio turpitudinis peccati sufficit ad iustificationem Sacramenti.

121. Non condempnit Deum verè esse Deum, qui ignorat eum offendere peccatis.

Eiusdem est punire peccata, & remunerare virtutem.

122.

123.

iam

Qualis amor Dei requiritur ad iustificationem.

Trident.

Trident.



iam debet quis potest erga Deum, ut suum iustificatorem, affici, qui eum talem esse ignorat. quare ut adultus convenienter ad iustificationem disponatur, omnino necessarium est, ut sciat se ad hoc aliquo Dei auxilio indigere; et si non teneatur distincte scire quale hoc auxilium sit, quæ magis patebunt ex dicendis conclus. 2. 3. 4. His autem positis quadruplex hic occurrit difficultas.

Prima difficultas est, utrum illi, qui aliqua ex supradictis, v. c. Deum esse unum, esse creatorem & gubernatorem vniuersi, &c. per naturalem demonstrationem sciunt, teneantur eadem fide theologica credere.

124  
D. Thomas. 2. 2. q. 2. a. 4. in corpore docet, nos debere fide credere etiam ea quæ naturaliter possumus per demonstrationem cognoscere. Primò, quia aliàs nimis tardè & post multa studia ea cognosceremus. Secundò, quia aliàs multitudine aut qui numquam studuerunt, qui consequenter non possunt dictorum habere veram demonstrationem, aut vim eiusmodi demonstrationis clarè cognoscere, non possent habere sufficientem cognitionem rerum fidei. Tertiò, ut certius eas res possumus cognoscere: quia ea, quibus tota nostra spes & religio nititur, debemus certissimò cognoscere; omnis autem nostra cognitio naturalis, præsertim circa res diuinas, est magna ex parte fallibilis & erroribus obnoxia. ut patet in antiquis philosophis, qui circa Deum eiusque prouidentiam ac potentiam habuerunt varios errores, & minùs firmi ac constantes in suis opinionibus fuerunt. Quæ ratio cum generalis sit, & spectet directe eos, qui naturaliter aliqua de Deo clarè sciunt, aperte concludit etiam hos teneri hæc credere. Contrà tamen videtur facere quod idem ibidem docet in respons. ad 2. ubi ait: *Dicendum quoddè de eodem non potest esse scientia & fides apud eundem, sed id, quod est ab vno scitum, potest esse ab alio creditum.* Vbi videtur negare, nos posse fide credere ea, quæ naturaliter clarè scimus. Quare mens D. Thomæ non nihil obscura est, ideoque variè eum variè interpretantur, ut patet apud Turrian. 2. 2. disp. 26. dub. 1. ego verò credo æquius esse ea quæ habet in dicta respòs. interpretari secundum ea quæ habet in corpore, quàm contra; cum & ratio & Scriptura illi interpretationi magis faueant, ut patet ex dictis disp. 11. dub. 1. & ex dicendis infra conclus. 1. patebit.

125  
Turrian. Quidam verò putantes scientiam nullo modo posse consistere cum fide circa idem obiectum; consequenter putant nos nullo modo teneri, imò nec posse, vera fide credere ea, quorum habemus claram demonstrationem; quorum fundamenta retuli & refutaui disput. 11. dubio 1.

Alii volunt, nos talia posse, atque adeò teneri credere, non quidem eodem tempore, quo habemus circa ea actum scientiæ, sed alio tempore.

Sed hoc etiam loco citato n. 24. & 25. refutauit. Et inde sequeretur, philosophum Gentilem, qui haberet actu cognitionem claram, quòd Deus sit vnus & rerum omnium creator ac gu-

bernator, non posse pro eo tempore vllò modo conuerti ad fidem: quia aut deberet tunc simul circa eandem rem habere fidem & scientiam, aut conuerti sine fide istarum rerum: quod illi vtrumque negant. Omnino autem videtur absurdum dicere aliquem reddi ineptum ut conuertatur præcisè quia naturaliter clarè cognoscit Deum esse rerum omnium opificem ac gubernatorem; cum hoc potius ad eius conuersionem iuuat: palàm enim est talem esse aptiorem qui conuertatur, quàm si esset omnino atheus.

Nec sufficit, quòd aliqui respondent talem posse tunc expellere illum actum scientiæ, & ita credere. Primò, quia, ut ostendi loco citato nu. 25. fieri nequit ut habens claram cognitionem alicuius obiecti hanc expellat, quàm diu de eo obiecto distinctè cogitat: qui autem vult aliquid credere, debet de eo distinctè cogitare. Secundò, quia tunc talis cognitio secundum se honesta & expetenda, & qua S. August. 1. 14. de Trinit. c. 1. docet fidem gigni, nutiri & confirmari, directe obesse fidei, & tali homini esset noxia; & conuersionis impedimentum, quæ absurda sunt.

126  
Tertiò, alii docent, talem posse & teneri dicta credere, non quidem explicitè & distinctè secundum se (quia hoc putant esse impossibile) sed implicitè & in alio: v. c. talis credendo Deum esse remuneratorem siue largitorem præmiorum supernaturalium, & iustificatorem (quæ homo naturaliter nequit cognoscere,) simul implicitè credit eum esse. Ita videtur sentire Lorca 2. 2. disp. 14. n. 13.

Sed nec hæc responsio satisfacit. Primò, quia non possum dici verè & propriè credere implicitè & in alio; quòd seculi omni ignorantia non possum credere explicitè & in se. Sicut, et si ex eo quòd homo sit risibilis necessariò inferatur eum esse animal rationale; tamen si hoc non possum secundum se scire actu verè scientifico, neque potero hoc scire verò actu scientifico in alio. quia sicut ut aliquid sit in se distinctè scibile, debet in se distinctè esse demonstrabile, ita ut aliquid sit scibile in alio, debet esse demonstrabile in alio: hominem autem esse animal rationale, non est vllò modo demonstrabile per illam demonstrationem, qua demonstro & scio hominem esse risibilem; & per consequens nec est scibile per illam demonstrationem. Quare qui scit hominem esse risibilem, per illum actum propriè non scit eum esse animal rationale; sed supponit hoc alio actu cognitum. & similiter si is qui actu euidenter scit Deum esse, non possit distinctè credere eum esse, nec poterit id implicitè credere per eum actum, quo credit eum esse iustificatorem; sed hic actus supponit alium actum, quo cognoscet eum esse, & per illum actum solum credit hoc attributum ei còuenire.

127  
Confirmatur, quia in hac propositione, *Petrus laborat febri*, non minùs implicitè continetur hæc, *Petrus est siue viuus*; quàm in hac, *Deus est iustificator*, contineatur hæc, *Deus est*. & tamen quando Petrus credit medico dicenti eum laborare febri, non credit ei, siue propter dictum ipsius, se esse aut viuere (ridiculum enim est dicere,

Nequeo id credere implicitè, quòd seculi ignorantia nequeo credere explicitè.

Lorca.



cere, Petrum credere, & consequenter cognoscere se vivere, quia medicus dicit eum agrotare) sed illa cognitione aliunde supposita credit sibi febrem inesse: ergo similiter dicendum est de eo, qui propter actuale scientiam nequit credere Deum esse, quod scilicet hoc nequeat implicite credere.

128 Secundò, dicta responsio non satisfacit; quia ex ea sequitur Primò, aut ad iustificationem hominis infidelis, non requiri tamquam medium necessarium explicitam cognitionem, qua cognoscat Deum esse, aut ad eam sufficere ac disponere cognitionem huius obiecti merè naturalem: utrumque autem videtur aperte absurdum: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur, quia secundum illam responsionem talis nullo modo haberet explicitam fidem qua crederet distinctè Deum esse; sed explicitè id solùm cognosceret cognitione merè naturali. item cum talis, ut suppono, tunc iustificetur, & consequenter necessariò habeat omnia media ad iustificationem necessaria; aperte sequitur, ad iustificationem aut non requiri tamquam medium necessarium explicitam illius obiecti cognitionem, aut sufficiens medium esse cognitionem Dei merè naturalem. Minor probatur: quia communiter omnes docent, explicitè & distinctè cognoscere Deum esse medium necessarium ad iustificationem. Item, dicere cognitionem merè naturalem posse esse medium necessarium aut conducens ad salutem, aperte repugnat Milevit. c. 4. & Arausic. c. 5.

Arausic.  
Milevit.

129 Secundò, sequeretur, tali homini non esse ad iustificationem necessarium, credere Deum esse rerum omnium creatorem si hoc clarè sciret: quia hoc non ita continetur in aliis propositionibus, quas necessitate medii tenemur credere ut iustificemur: posset enim quis reliquas omnes firmiter credere, siue sibi persuadere esse veras, negando Deum esse rerum omnium conditorem: quare qui has omnes credit non necessariò implicite credit illam: ut autem iam supra ostendi, nemo potest iustificari nisi credat Deum esse rerum omnium creatorem; nec potest dici sufficere hoc scire cognitione naturali, quia hæc nequit esse medium necessarium aut conducens ad salutem.

Secunda difficultas est, utrum ante Christum natum, tam sub lege naturali quam sub lege Moyſis necessarium fuerit explicitè credere Christum siue Messiam venturum, ut nos à peccatis liberaret?

130

Veteres tripliciter potuerunt credere venturum Messiam.

Ut sensus difficultatis clariùs intelligatur, Nota antiquos tripliciter potuisse credere, venturum Messiam, & nos à peccatis liberaturum. Primò, omnino implicite & in confuso, solùm credendo Deum nos liberaturum à miseriis ac peccatis, & ad finem ac beatitudinem perducturum, iis mediis, quæ providentia ipsius optima iudicaret; inter quæ media cum præcipua essent natiuitas, merita ac passio Christi, qui illa credebant, implicite etiam hæc credebant.

Secundò, credendo explicitè venturum Messiam, siue aliquem à Deo mittendum, qui esset mediator inter homines & Deum, & nos huic reconciliaret, modo ipsi notò; abstrahendo

ab hoc vel illo modo in particulari; & an ille futurus esset Deus & homo, an verò purus homo.

Tertiò, explicitè credendo Christum futurum Deum & hominem, & sua morte nos à peccatis liberaturum. Inter quos modos secundus est medius, & respectu prioris potest dici fides explicita Messiae, siue mediatoris venturi; respectu verò tertii est fides implicita Christi ac passionis eius.

Omissa igitur opinione Vegæ refutata dubio præcedenti, qui putabat non esse necessarium necessitate medii aliquid credere;

Prima opinio docet, ante Christum natum non fuisse necessarium quidquam de eo venturò explicitè credere, sed sufficere explicitè credere Deum esse nostrum iustificatorem, nosque liberaturum modo sibi cognito; in qua fide continetur implicita fides venturi Christi. Ita Durand. in 3. d. 25. qu. 1. Richard. ibidem a. 3. qu. 2. Bañez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. 1. conclus. 3. §. Ad tertij argumenti. & dub. 2. in fine conclus. 2. & 3. Ratio huius opinionis est. Primò, quia Apostolus ad Hebr. c. 11. non videtur aliam fidem requirere. Secundò, quia hæc fides est sufficiens ut quis possit per actum contritionis ad Deum conuertere, & in ea sufficienter videtur implicite contineri fides Christi. Tertiò, quia aliàs plurimis Gentibus, quibus non fuit reuelatus Messias, fuisset impossibilis salus.

131

Durand.  
Richard.  
Bañez.

Hebr. 11.

Secunda sententia docet, priorem sententiam saltem fuisse veram pro tempore legis naturæ; secus tamen fuisse tempore legis Moyſis. Ita A. lenſis 3. p. q. 69. memb. 3. a. 1. & 2. Prior pars probari potest tercia ratione allata pro prior sententia. Secunda autem probatur: quia tempore legis Moyſis fuit adventus Messiae aperte reuelatus, & omnibus credendus propositus.

132

A. lenſ.

Tertia sententia docet, omni tempore fuisse necessarium explicitè credere, non solùm Christum venturum, sed etiam eum fore verum Deum & hominem, & morte sua nos redempturum. Ita quidam apud Bañez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. 2. conclus. 5. Eandem opinionem tenuit quidam olim tempore S. Bernardi, qui putabat omnes veteres iustos ea omnia quæ fides docet de Christo, tam explicitè credidisse futura, quam nos credimus facta, quem ipse epistola 77. fusè refutat. Dicta autem sententia videtur maximè niti auctoritate D. Augustini, qui sæpiùs docet, quous tempore fuisse necessarium ad iustificationem credere Christi diuinitatem, natiuitatem, & mortem: cuius verba infra referemus, & ostendemus ea debere intelligi de fide implicita istorum mysteriorum.

133

Bañez.

Bernardus.

Quarta demum sententia, quam infra probabo, docet, necessarium iis fuisse credere explicitè Messiam venturum, iuxta secundum modum explicatum n. 130.

Tertia difficultas est, utrum post Christum natum, ac sufficientem Evangelij promulgationem necessitate medij ad iustificationem sit necessarium explicitè credere Christum esse verum Deum & hominem, nosque sua morte redemisse, ac à mortuis resurrexisse?

Multi id absolute affirmant; ita cum quibusdam

134



Lorca.  
Carthus.  
Peñantius.  
Malder.  
Valentia.  
Sanchez.  
Magister.

busdam recentioribus Lorca 2.2. disp. 22. nu. 4. & Carthus in 3. qu. 1. §. Præterea ad fidem. & Peñantius 2.2. qu. 2. art. 7. dub. 1. concl. 6. Malderus ibidem. Valentia disp. 1. qu. 2. puncto 4. Sanchez in præcepta lib. 2. c. 2. & alij. Ex antiquis autem citantur pro eadem sententia Primò, Magister in 3. d. 25. vbi §. i. quærit an olim ad salutem suffecerit credere quod Deus sit, & sit remunerator sperantium in se. & subdit: Nam tempore gratia constat certissimè, hoc non sufficere; oportet enim vniuersa credi, quæ in Symbolis continentur. quæ in sequentibus paragraphis etiam sæpius supponit. Sed hoc aut nihil probat, aut nimium. nam si intelligatur de necessitate mediij, & fide explicita, est apertè falsum: nam multa in Symbolis continentur, sine quorum explicita fide potest obtineri salus ab ijs qui ea inuincibiliter ignorant. Vt quod Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, &c. Quare Magister videtur intelligendus de fide implicita, aut potius de necessitate præcepti. & sic verba citata nihil probant.

135  
Bonavent.  
Secundò, citatur Bonavent. ibidem a. 1. qu. 3. vbi ait iam omnes Christianos teneri credere Deum esse trinum & vnum, Christi naturam, passionem, & resurrectionem; & peccatorum remissionem. & subdit, Ab horum cognitione & notitia nullus ratione prius excipitur, nec ignorantia excusatur, quia non potest esse talis ignorantia sine negligentia & contemptu. Item Scotus ibidem q. 1. §. Sed postea. vbi in fine ait, quemlibet etiam rudem teneri aliquando explicitè credere quæ sunt grossa ad capiendum: sicut quod Christus natus est & passus, & alia quæ pertinent ad redemptionem.

136  
Sed uterque loquitur apertè de necessitate præcepti, & de ijs, qui inter Christianos viuunt. Quod ex D. Bonavent. patet; quia ait ideo nullum ab illorum necessitate cognitione excipi, quia nemo ea potest sine negligentia & contemptu ignorare. quod probat, quia hæc non solum ex concionibus, sed etiam ex Ecclesiæ vtu (quo scilicet festis annuis celebrat dicta mysteria) & consuetudine signandi se cruce in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus potest discere. Quæ pater solis ijs conuenire qui inter Catholicos versantur; nullo autem modo remotis barbaris, qui numquam de ijs rebus audiuerunt. Itè cum dicat, eos ideo non excusari, quia nequeunt ea sine culpa ignorare, patet eum non loqui de ijs, qui hæc numquam audiuerunt, ideoque ea inuincibiliter ignorant; & consequenter non loquitur de necessitate mediij, à qua nulla impotentia excusatur.

137  
Idem probatur de Scoto, quia sicut ibi dicit rudiores teneri dicta explicitè credere, ita docet, doctos teneri omnes fidei articulos explicitè credere. Secundò, quia paulò antè dixerat rudiores non teneri explicitè credere illa quæ subtilia sunt, quæque non ita possunt capere; quia Deus nullum obligat ad impossibile. Ex quibus patet Primò, eum non loqui de necessitate mediij, quæ non distinguit inter rudes & doctos, nec tollitur per impossibilitatem. Secundò, eum non velle eos teneri dicta credere, qui de ijs nihil vniquam audire potuerunt, quia docet neminem teneri ad impossibile. His ad-

de, Scotum ibidem expressè docere, non omnes teneri habere explicitam & distinctam fidem Trinitatis; unde consequenter necessariò dicendum est, non omnes teneri credere distinctè mysterium incarnationis; quia ad hoc necessarium est credere secundam personam esse distinctam à prima & tertia, & esse solam incarnatam, quod sine explicita fide Trinitatis fieri nequit. Quare Scotus videtur omnino fuisse in contraria sententia.

Tertiò, citatur Gabriel in 3. d. 25. qu. vnica 138  
conclus. 3. & 4. sed ibi nihil de hac re definit, Gabriel. sed in conclus. 3. remittit se ad conclus. 5. vbi idem omnino docet, quod Scotus supra. quare potius pro contraria sententia facit.

Quartò, citatur Alensis 3. p. qu. 82. memb. 3. Alensis. a. 1. sed ipse non satis se explicat, an loquatur de necessitate mediij an præcepti. Dèum citatur D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. vbi in corpore docet, iam D. Thomas. omnes teneri explicitè credere mysterium Incarnationis & Trinitatis. Sed loquitur de necessitate præcepti: nam in responsione ad 3. e. pressè docet, in ijs qui habent eorum inuincibilem ignorantiam, sufficere fidem implicitam.

Probat autem hæc sententia. Primò, ex 139  
Scripturis, & quidem Primò, ex illo Marci vltimo: Predicate Euangelium omni creatura. qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Quem locum explicans D. Bernardus epistola 77. docet ibi dici dandum qui non crediderit, non verò eum qui non fuerit baptizatus; quia fides (scilicet viuæ & caritate informata, de qua ibi loquitur Bernard.) quandoque sola sufficit ad salutem, sine ea verò nihil sufficit. Quare, teste D. Bernardo, dicto loco Marci agitur de fide necessaria necessitate mediij, & tamen agitur de fide explicita Trinitatis & Incarnationis, quam Apostoli iubebantur prædicare: ergo hæc est necessaria necessitate mediij.

Secundò, quia Apostolus 1. ad Corint. 3. docet, Christum esse necessarium fundamentum, 1. Cor. 3. super quo solo & nullo alio possit ædificium spirituale ædificari: hoc autem fit per fidem: ergo, &c.

Tertiò, ad Roman. 10. dicitur, Hoc est verbum Rom. 10. fidei quod prædicamus: quoniam si credideris in Dominum Iesum Christum, & ore tuo confitearis, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris. vbi ad salutem requiritur expressa fides mortis & resurrectionis Christi.

Quartò, Iohan. 3. dicitur, Qui credit in illum Iohan. 3. (Christum) non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine Filij Dei vni-  
geniti. Vbi expressè dicitur omnes manere in damnationis sententia, qui non credunt in Christum. Et quòd loquatur de fide explicita, patet, quia comparat ibi se mortem quæ suam cum exaltatione serpentis in deserto, docet quæ sicut mors à serpentibus illius aspectu sanabatur, ita nos habere salutem, siue sanari à peccatis ex fide ipsius Christi exaltati in cruce: atqui ut laci à serpentibus sanentur, debebant æneum serpentem explicitè intueri: ergo ut sanemur à peccato, debemus explicitè in Christum crucifixum credere.

Quintò,



Iohan. 7.

Quintò, quia Iohan. 7. dicitur, *Hac est autem vita eterna*, (id est vera & necessaria via ad vitam æternam) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. ubi cognitio Christi dicitur eodem modo via ad vitam æternam, sicut cognitio Dei: atqui hæc necessariò debet esse explicita: ergo & illa. Adferuntur plura alia loca, sed quæ solùm probent, aut nos non potuisse saluari sine meritis & morte Christi, aut horum fidem implicitam esse necessariam, aut loquuntur de necessitate præcepti: atque ita iam allata maximè videntur virgè.

140  
August.

Probat Secundo, ex Patribus: quia S. August. lib. de Corrept. & gratia cap. 7. ait: *Sic enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui dicere poterunt se non audivisse Evangelium Christi, &c.* Vbi apertè docet, neminem, quantumvis non potuerit audire Evangelium, posse damnationem evadere sine fide Christi; unde infra docet, non esse dubium quin Deus omnibus prædestinatis procuret prædicari Evangelium sine cuius fide nequeunt saluari. unde etiam l. 1. de Prædest. cap. 7. de Cornelio ait: *Cuius accepta elemosina, & audite orationes antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodo invocaret, in quem non crederat? sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum adificandum mitteretur architectas Apostolus Petrus.* Similia habet multis alijs locis. Similiter Chrysostomus hom. de fide & lege natura to. 3. in fine docet, sicut hominibus primò opus est ut præcedat vita, & sic nutrantur; ita necessarium esse ut præcedat vitam æternam spes in Christum. Vbi etiam docet, Cornelium Cætionem non potuisse saluari, nisi audivisset à S. Petro fidem Christi, & opera eius prius fuisse mortua, eò quòd non procederent ex fide. Item Irenæus lib. 3. c. 21. *Ignorantes, ait, eum qui ex virgine est Emmanuelem, priuantur munere eius, quod est vita æterna.* Item Bernardus epist. 77. docet fidem in Christum magis necessariam esse ad salutem quam baptismum: ergo illa est necessaria necessitate medij.

Chrysost.

S. Irenæus.

Bernard.

141  
Athanas.c. Firmiter.  
extr. Vñ.

Probat Tertiò, quia in Symbolo Athanasij, in quo mysterium Trinitatis & Incarnationis explicitè traditur, dicitur: *Hac est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Item c. Firmiter, de summa Trinitate. & Extravag. *Vnam sanctam*, de maiestate & obedientia. dicitur Ecclesiam Catholicam esse vnam, extra quam non est salus; patet autem fidem Ecclesiæ Catholice, esse fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis.

142

Probat Quartò ratione. Primò, quia baptismus in quo fit explicita professio Trinitatis, est necessarius necessitate medij: ergo in adultis similiter est necessaria fides explicita Trinitatis, & consequenter Incarnationis: quia est eadem utriusque ratio. Confirmatur Primò, quia parvulis est necessaria fides explicita Trinitatis expressa in baptismo recepto: ergo etiam adultis; quia incredibile est in adultis fidem minorem requiri, quam in parvulis. Confirmatur Secundo, quia in Sacramento, quo iam parvuli

iustificatur, requiritur magis explicita protestatio fidei Trinitatis, quam olim requirebatur in eo, quo iustificabantur ante legem gratia: ergo in iustificatione adulti etiam fides magis explicita requiritur.

Secundò, quia nemo iam potest salvari nisi Christianus: atqui sine fide explicita Christi, nemo est Christianus, (quia in hoc differt Christianus à Iudæo, quòd ille habet fidem explicitam Christi, hic solùm implicitam) ergo nemo potest salvari sine fide explicita Christi.

Canus verò relect. de Sacramentis in communi p. 2. q. 2. conclus. 3. & Bafiez 2. 2. q. 2. a. 8. dub. vii. conclus. 1. & 2. & à Castro lib. 2. de Lege pœnali cap. 14. docent fidem implicitam Incarnationis ac mortis Christi sufficere quidem ad iustificationem, non tamen ad ingrediendum vitam æternam. Probat præcipuè: quia Cornelius Actor. 10. ante fidem explicitam Christi fuit iustificatus, & tamen non potuit sine ea saluari; quod probant ex testimonijs August. & Chrysost. allatis n. 140.

Quarta difficultas est circa mysterium Trinitatis: circa quod ferè eadem sunt sententiæ, ac circa mysterium Incarnationis: qui enim circa hoc requirunt fidem explicitam, etiam circa illud similem requirunt; & necessariò vnum ex altero sequitur. Quia ego nequeo explicite credere solum Filium inter divinas personas esse incarnatum, & simul cum alijs personis esse vnum verum & propriè dictum Deum, nisi credam tres personas inter se distinctas in ratione personæ, esse vnum Deum. Item non est ratio curiam teneam explicitè credere mysterium Trinitatis, nisi ut possim explicitè credere mysterium Incarnationis. Unde etiam mysterium Trinitatis primùm cœpit vulgo credendum proponi post Christi incarnationem, quo tempore hoc mysterium fuit saltem necessitate præcepti ab omnibus necessariò explicitè credendum.

CONCLUS. I. Omnino dicendum est fidem supernaturalem etiam eorum quæ possumus naturaliter cognoscere, (v. c. Deum esse vnum, esse creatorem & gubernatorem vniuersi, habere rerum humanarum providentiam, animam humanam esse immortalem) esse medium necessarium ad salutem. Hanc conclus. tenent omnes, qui docent fidem posse consistere cum scientia; & quidam etiam alij, ut patet apud Turrian. 2. 2. disp. 26. dub. 1. Sequitur apertè ex dictis supra num. 125. & sequentibus, & disp. 11. dub. 1. ubi fundamenta contrariæ sententiæ refutavi, & ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est*, ostendi clarè convinci, quemvis, etiam qui hoc naturaliter cognoscit, debere id credere.

Et hic brevitè confirmo: quia istarum rerum cognitio non solùm (prout aliqui contrariæ sententiæ auctores volunt) præsupponitur iustificationi quasi per accidens, sicut eidem præsupponitur hominem esse natum aut creatum à Deo; sed est medium per se conducens, atque adeò necessariò requisitum ad salutem, ut patet tum ex eo ad Hebræos 11. *Accedentem enim ad Deum*

143

Canus.  
Bafiez.  
à Castro.

Act. 10.

441

Cur post  
Christi pñ-  
mò incepi-  
rit proponi  
mysterium  
Trinitatis  
explicitè  
credendum.

145

Turrian.

Hebr. 11.

146

Deum



Cognitio,  
quia cogno  
scimus Deū  
esse, & nos  
gubernare,  
est medium  
necessarium  
& fundamē  
tum nostræ  
salutis.

*Deum oportet credere quia est. vbi hæc fides tamquam medium necessarium & sine quo nequeo accedere ad Deum, requiritur. Tum quia tota religio Christiana tamquam primo suo fundamento, sine quo nequeat subsistere, nititur, ac in suis actionibus dirigitur istarum rerum cognitione. Vtenim Deum amem, necessariò dirigor illa cognitione, qua cognosco illum esse. Item vt cum cultu lactæ, tamquam primum rerum omnium principium veneri, necessariò dirigor ea cognitione, qua cognosco eum esse tale principium. Rursum vt eum timeam, aut aliquid ab eo sperem, necessariò dirigor cognitione, qua scio eum habere rerum omnium providentiam. ergo horum cognitio est verum ac omnino necessarium medium, ad eliciendâ eiusmodi actiones, quibus ad iustitiam disponimur, & fundamentum quo religio nostra nititur. Vnde sic arguuntor, vel sufficit ad iustificationem illa cognoscere cognitione naturali, & tunc cognitio naturalis erit initium salutis, & medium ad eam conducent; quod apertè à Mileuit, & Arausic. in Pelagianis damnatum est: vel non sufficit illa ita cognoscere, sed necessaria est ea fide supernaturali credere; & tunc vera est nostra conclusio.*

Nec fufficit dicere, ea credere effe neceffarium non fecundum fe, fed prout implicitè continentur in alio obiecto fupernaturali. quia hoc iam refutavi n. 126.

147  
Quæ fides  
fuit neces-  
saria in lege  
nature &  
Moyſis.

CONCLUSIO II. Post lapſum Adam ſem-  
per fuit ad ſalutem neceſſarium medium ex-  
plicitè credere venturum aliquem mediato-  
rem, cuius meritis poſſemus à Deo gratiam,  
& miſericordiam, ac demum ſalutem confe-  
qui. Ita Magiſter in 3. diſtinct. 25. & cum eo  
maximè pars Theologorum, quos ſuſè citat &  
ſequitur Lorca 2. 2. diſputatione 21. numero 4.  
Probat̃ur Primò, ex Scriptura: quia Acto-  
rum 4. cum S. Petrus reprehendiſſet princi-  
pes populi, quòd Chriſtum reprobaſſent, nec  
voluiffent in eum credere, ſubdit: *Et non  
eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen da-  
tum eſt ſub celo hominibus, in quo* ( ſcilicet cre-  
dendo) oporteat nos ſaluos fieri. Vbi aperte  
ſtendit neceſſarium omnino eſſe fidem in Chri-  
ſto, vt quis poſſit ſaluari. Nec poteſt intelli-  
gi ſolùm de tempore futuro, ſive quod fuit  
poſt Chriſtum, quia Petrus generatim loquit̃-  
tur: & aliàs ſequeretur, aliquando aliquos  
in alio nomine fuiſſe ſaluatos. quod abſur-  
dum eſt.

Magiſter.

Lorca.

Ador 4.

148  
Rom. 3.

Clariora hæc sunt apud Apostolum ad Romanos 3. Vbi cum generatim docuisset, omnes antiquos fuisse sub peccato, nec per legem potuisse saluari; deinde ostendens quia ratione iustificati fuerint, quicumque fuerunt iustificati, subdit: *iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio.* Omnes enim peccauerunt; & egent gloria Dei: *iustificati gratis per gratiam ipsius; per redemptionem qua est in Christo Iesu, quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* & infra: *Vt sit ipse iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi.* vbi generatim

docet, sicut omnes peccauerunt, & gloria  
sive gratia & redemptione. Christi egent, ita  
omnes iustificari per fidem in Christum. Sic  
ut igitur illud generatim omnibus homini-  
bus post lapsum Adami conuenit, ita etiam  
hoc.

Idem aperte docet ad Galat. 3. vbi ait : Cog- 149  
noscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. Galat. 3.  
Providens autem Scriptura, quia ex fide iustificat  
Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: Quia benedicen-  
tur in te omnes generationes. Vbi docet, Gentes ius-  
tificari illa fide, quæ nititur illa promissione  
facta Abrahæ. Et paulò pòst ostendens, quæ  
sit illa promissio, ait: Abrahæ dicta sunt promissio-  
nes & semini eius. non dixit, Et seminibus, quasi in  
multis; sed quasi in vno, Et semini tuo, qui est Chri-  
stus. Vbi apertè ostendit, omnes gentes anti-  
quitus ex fide Christi iustificatas fuisse; & idè  
Scripturam dixisse omnes gentes in semine A-  
brahæ benedicendas; vt ostenderet cuius me-  
ritis ac fide essent benedicendæ; vnde infra sub-  
dit, legem non potuissè conferre salutem, &  
Scripturam omnia coacclusisse sub peccato ( id  
est, ostendisse omnes esse peccatores, & egre-  
gloria Dei, v. dicitur ad Romanos 3. ) Vt pro-  
missio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Vbi a-  
pertè docet, sicut omnes fuerunt in peccato,  
ita omnes accepisse iustitiam & benedictionem  
ex fide Christi, quicquid illum acceperunt.  
Vnde etiam I. ad Corinth. 10. docet, omnes an-  
tiquos eamdem spiritalem escam manducasse,  
& eundem potum bibisse de spiritali petra, quæ  
erat Christus. quod nequit aliter intelligi nisi  
de manducatione & potatione per fidem in  
Christum. I. Cor. 10.

Idem aperte probatur ex Iohannis 3. vbi  
Christus ait : *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto : ita exaltari oportet filium hominis* (scilicet moriendo in cruce) *vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Vbi comparat suam crucifixionem cum exaltatione illius serpentis ; quia sicut hic fuit exaltatus in deserto , vt possent sanari qui à serpentibus erant læsi , ita Christus fuit crucifixus , vt possent sanari qui astutia serpentis in paradiso peccatum originale contraxerant ; & sicut æneus serpens nullum sanabat nisi in se aspicientem , ita Christus solum sanat in se credentes , hoc enim aperte significat illa verba , *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Vnde infra subdit : *Qui credit in eum non iudicatur , qui autem non credit , iam iudicatus est* (id est manet in antiqua damnatione iam olim per peccatum originale , aliaue contracta) *qui non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Id est , sicut olim omnes in deserto læsi à serpentibus , quia aspicebant serpentem æneum sanabantur , qui autem eum non aspicebant necessarii moriebantur , quia eum non aspicebant : ita omnes diaboli arte infecti peccato , vt sanentur , siue ne pereant , debent necessariò credere in Christum crucifixum.

Ex quibus patet, quòd sicut Christus fuit  
exaltatus in cruce, non solum ut posterius, sed  
etiam ut præcedentes siue Iudæi, siue Gen-  
tes possent liberari à peccato, nec ullus om-

Comparatio  
Christi cum  
serpente &  
neo.



nino sine eius morte potuit liberari, ita nemo potuerit liberari sine eius fide. Quæ semper intellige de vrentibus ratione, quia infantibus fides actualis non est necessaria.

151

Probatur Secundò, ex Patribus citatis supra nu. 140. qui aperte docent neminem unquam potuisse liberari à peccato, aut saluari sine fide Christi, & ut patet ex eorum contextu, generatim loquuntur de omnibus qui peccato Adam infecti fuerunt.

August.

Addam hic clarissimum locum D. Augustini ex libr. 2. de Gratia Christi, siue de peccato originali cap. 24. Vbi postquam citasset illud Actuum 4. Non enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri; addit: Itaque sine ista fide, hoc est sine fide vnus mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Iesu, sine fide inquam resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ vtrique sine incarnatione eius ac morte non potest veraciter credi. Sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos ut iusti essent à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas Christiana non dubitat: siue in ijs iustis quos sancta Scriptura commemorat, siue in ijs iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt; vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israël, sicut fuerunt Propheta, sed etiam extrà eundem populum, sicut fuit Iob.

152

Item libr. 18. de Ciuitate cap. 47. agens de ijs, qui olim ex Gentibus saluati sunt, ait, Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus vnus mediator Dei & hominum homo, Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis sanctis prenunciabatur, quemadmodum venisse nobis nunciatus est; ut vna eademque fides per ipsum, omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.

Item lib. de Natura & gratia cap. 44. Ea quippe, inquit, fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius.

153

In his autem duobus testimonijs notandum est, eum dicere Christum, omnibus ijs qui olim salui facti sunt necessariò fuisse reuelatum, quo significatur eos particularem & aliquo modo distinctam de eo, saltem sub nomine mediatoris, habuisse fidem. Aliàs si tantum credidissent Deum eos saluaturum modis sibi cognitis, sine particulari cognitione mediatoris venturi, non posset verè & propriè dici ijs Christus esse reuelatus venturus, cum hac ratione non potuissent vllò modo conijcere an esset venturus nec ne. Item notandum, quòd dicit eandem fuisse eorum fidem de Christo ac nostram, & fuisse sic illis reuelatum venturum, sicut nobis reuelatus est venisse. Quibus verbis significat eandem fidem vtriusque necessitate medij fuisse necessariam.

154

Probatur Tertio, ratione, non quidem ex natura rei omnino esse impossibile aliquem aliter, si Deus vellent, iustificari; sed quòd om-

nino conuenire Deum non velle aliquem aliter iustificari. Quia ex pluribus Scripturæ locis constat neminem posse iustificari, nisi per merita Christi, & nisi hic in eum, tamquam caput in membra, & vitis in palmites, suam gratiam influat siue deriuat, ut constat ex Tridentino sessione 6. cap. 16. & ex Iohannis 15. Vbi dicitur neminem posse facere fructum pertinentem ad salutem, nisi sit ac manserit in Christo ut palmes in vite, & aliàs proijciendum esse foras ad comburendum: atqui qui in Christum non credit, nequit esse membrum ipsius, aut tamquam palmes in eo manere: ergo sine ea fide nequit facere fructum salutis aut iustificari. Minor probatur: quia Iohannis 6. dicimur per fidem venire ad Christum; & in Tridentino sessione 6. cap. 7. dicimur per fidem incipere vniri Christo: atqui non possumus tamquam palmites esse aut manere in Christo, nisi prius ad eum accesserimus, eique cœperimus vniri: ergo antequam in Christum credamus, non possumus in eo esse ac manere tamquam palmites in vite.

Secundò, quia sicut Deus est causa vniuersalis effectiua nostræ iustificationis & salutis, ita Christus respectu omnium omnino hominum est eiusdem causæ vniuersalis meritoria, ut docet Tridentinum sessione 6. cap. 7. ergo licet nemo potest iustificari aut Deo placere, nisi per fidem accesserit ad Deum, ut docet Apostolus ad Hebræos 11. ita nemo potest iustificari, nisi per fidem accedat ad Christum, in eum credendo. Videtur enim omnino eadem conuenientia ac necessitas. Vnde etiam D. Augustinus locis supra citatis, & alibi, ex eo quòd nemo potest saluari sine meritis Christi, infert neminem posse saluari sine fide Christi. Hinc etiam libr. de Natura & gratia cap. 2. cum docuisset si fieri potuisset, ut qui de Christo nihil audiuisset, sine eius fide credendo in Deum creatorem rectè ac iuste viueret, fieri etiam potuisset ut sine fide Christi saluaretur, subdit: Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico, quòd de lege dixit Apostolus, Ergo Christus gratis mortuus est. & infra: Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est à vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & Sacramentum sanguinis Christi. Vbi omnino pro eodem habet aliquem posse iustificari sine fide Christi, & posse iustificari sine gratia ac meritis Christi.

Dices, iam dicta sufficienter quidem probare, neminem posse saluari aut iustificari sine fide Christi, non tamen probare requiri fidem explicitam in Christum, siue in mediatorem: nam qui credit in Deum iustificatorem & saluatorem, siue qui credit se diuino auxilio modo Deo cognito sibi conferendo esse saluandum, implicite credit in Christum, per quem Deus ipsi id auxilium collaturus est; & hoc modo possunt omnia dicta loca explicari. Confirmatur: quia si ea loca debeant intelligi de fide explicita, tunc nimium probabunt, scilicet omnes antiquos necessariò debuissent credere

Nemo iusti-  
ficatur  
meritis  
Christi.

Trident.  
Ioh. 15.

Sine fide in  
Christum  
nemo potest  
esse mem-  
brum aut  
palmes  
Christi.  
Ioh. 6.

Christus est  
vniuersalis  
causa meri-  
toria nostre  
salutis.

Trident.

Hebr. 11.

August.

156



dere Christum pro peccatis nostris moriturum ac resurrecturum, hoc enim docent omnia testimonia D. Augustini.

157 *Non quousque implicita fides mediis potest dici fides in Christum.*  
 Respondeo, nego assumptum: nam qui dicto modo solum implicite & confuse credit in Christum, non magis credit in Christum, quam credat tempore legis nouae futura septem Sacramenta, quibus gratia conferatur; & baptismum & confessionem instituenda, ut per ea remittantur peccata; aut quam credat futuros duodecim Apostolos, quorum opera Deus omnes gentes vocet ad fidem & iustitiam. idemque est de similibus medijs, quibus Deus nostram salutem operatus est; quia haec omnia continentur sub generali illa Dei providentia, qua modis si bi cognitis nostram salutem voluit operari. Clarissime autem patet tam ex Scripturis, quam ex Patribus supra citatis requiruntur specialiter fidem in Christum, hanc longè aliter requiri, quam requiratur fides aliorum istorum mediatorum: nequit autem concipi quomodo haec fides in Christum sit specialiter necessaria, nisi necessaria sit fides explicita mediatoris.

158 *Augus.*  
 Ad confirmationem, nego assumptum: quia tam Augustinus quam Scripturae solum requirunt ut haec speciali ratione, & magis particulatim quam alia multa mytheria fidei credamus: quod sit dum modo dicto explicitè credimus in mediatorem, qui nos suis meritis, modo Deo cognito à misericordis liberabit. quo casu directè & specialiter, et si modo obscuro & in confuso, credimus eius mortem & resurrectionem: quia hic fuit modus, quo nos liberauit. Quod etiam aperte insinuat D. Augustinus epistola 49. quaestione 2. vbi ait, *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, &c.* Quibus ultimis verbis videtur insinuare haec mytheria non debuisse necessariò explicitè ab omnibus cognosci; & quamuis fortè alius sit huius loci sensus, hic tamen etiam est probabilis, aut saltem ex alio probabiliter infertur.

159 *Galat. 3.*  
 Dices Secundò, Christus venturus non fuit ab initio omnibus reuelatus; nam videtur primum Abraham fuisse facta promissio venturi Christi; ut videtur colligi ex cap. 3. ad Galatas, citato supra num. 149. ergo fides explicita mediatoris non fuit semper medium necessarium ad salutem.

*Christus statim post lapsum promissus.*  
 Respondeo, nego antecedens: nam certum est statim ab initio Adamo post lapsum fuisse reuelatum, venturum Messiam, ut patet vel ex illo Genesis 3. *Et ipsa conteret caput tuum.* Vbi praedicitur Beatam Virginem pariendo Christum contrituram caput diaboli: in Hebraeo habetur, *Et ipsum* (scilicet semen mulieris) *conteret caput tuum.* Vbi (ut testatur D. Leo sermone 2. de nativitate Christi sub initium) promittitur Christus ex Eva nasciturus, qui serpentis, siue diaboli, caput conterat, eum sua morte superando. Nulli autem potest esse dubium quin Adam haec posteris tradiderit. Item testatur S. Iudas in sua epistola Enoch

*Contra de act. supernat.*

septimum ab Adam prophetasse de Christo, eiusque aduentu ad iudicium. Et quamuis fortè liber ex quo hoc S. Iudas descripsit, non fuerit canonicus, tamen de fide est ea esse vera quae ipse ex illo citat, quia alias ipse scripsisset falsa, quod sine haeresi dici nequit.

Ad confirmationem, Respondeo in illo cap. 3. ad Galatas solum insinuari Abrahamum fuisse primum cui multiplicatis iam hominibus post diluvium fuit facta promissio quod Christus ex eius semine nasceretur. Similiter Noè de eadem re suos posteros instruxit; unde, ut patet ex historia Iob cap. 19. etiam alij, qui non erant Iudei, habuerunt cognitionem mediatoris venturi. Item Sibylla multa de Christo praedixerunt. Arque ita, quantum est ex parte Dei, huius rei notitia sufficienter fuit hominibus reuelata. Quod si verò aliquibus fuit incognita, suis peccatis id impudent, quibus diuinam illustrationem impediuerunt. nam si eum gratia diuina auxilio, prout poterant & timebantur, elaborassent, ut bene viuerent, & necessaria ad salutem cognoscerent, Deus eos ulterius illuminasset, donec ad veram fidem peruenissent.

Dices Tertio, Ad elicendum verum actum caritatis ac contritionis, sufficit credere Deum esse unum, creatorem totius vniuersi, & habere rerum humanarum potentiam, nosque ab eo peccatorum veniam ac beatitudinem debere sperare: ergo qui haec sola credit, poterit elicere actum caritatis ac contritionis, & ita iustificari. Respondeo hoc solum probare, ex natura rei fidem explicitam mediatoris non esse absolute necessariam, ut peccator possit iustificari, sicut nec meritum siue satisfactio Christi fuit ad hoc absolute necessaria, quia Deus sine his potuisset absolute nobis dare gratiam ex mera sua liberalitate, qua possemus de peccatis conteri, & deinde contritis peccata remittere. Sicut tamen magis conueniens fuit haec fieri mediis meritis & satisfactione Christi, ut hac ratione diuina iustitiae satisfaceret: ita etiam conuenientius fuit nemini remitti peccata siue fide in Christum, ob dicta supra num. 154. & 155. Ideoque sicut Deus absolute statuit nemini dare gratiam, qua possit conuertere, nisi per merita Christi: ita absolute statuit nemini infideli dare gratiam sufficientem ut possit elicere actum caritatis aut contritionis, nisi prius excitauerit eum ad fidem in Christum; & quamdiu hanc non habet, illam gratiam ei non dat: & consequenter ipse nequit supradictos actus elicere. Ex quibus patet responso ad argumenta posita n. 131.

161  
 CONCLUSIO III. Ante Christi aduentum non erat necessarium ad iustificationem necessitate medijs explicitè credere aut mysterium Trinitatis, aut Christum futurum verè Deum & hominem, aut sua morte nos liberaturum à peccatis. Haec est communis Theologorum cum Magistro in 3. d. 25. §. 2. & D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. in corpore. vbi docent, minores siue simplices non debuisse necessariò supradicta expli-

*Etiā non Iudei olim habuerunt cognitionē mediatoris.*

160

*Cur nemo possit conuertere sine fide Christi.*

161

*Magister. D. Thomas.*



*Bernard.* explicitè credere. Et est aperta sententia D. Bernardi epist. 77. vbi contrariam sententiam fuscè refutat.

*Mysterium Trinitatis olim paucis fuit explicite reuelatū.* Probatur, quia, etsi antiquis fuerit obscure mysterium Trinitatis, incarnationis, & mortis Christi prænuntiatur; non fuit tamen illis explicite & aperte credendum propositum, nisi forte quibusdam à Deo specialiter illuminatis; reliquis verò nullo modo ante aduentum Christi sufficienter explicabatur, ut possent id explicite cognoscere; atque ita nemo eorum id unquam explicite cognouit sine specialiali qua Dei reuelatione, aut singulari mentis in Scripturis intelligendis illustratione; ut docet D. Bernardus suprà. Quod vel inde patet, quòd tempore etiam Christi non modò vulgus Iudæorum, sed etiam sacerdotes & legis doctores, & boni ac pii ignorarint Christum fore verè Deum, ac iam mortem nos liberaturum à peccatis: ut patet Iohannis 3. vbi hæc debuerunt Nicodemo legis doctore speciatim explicari, ut posset ea scire; & adhuc vix ea capere poterat.

*Bernardus.* Probatur Secundò, ex Scripturis. Ad Ephesios 3. vers. 3. dicitur mysterium Christi, siue incarnationis & mortis ipsius non fuisse agnitus superioribus sæculis, sicut reuelatum fuit Apostolis. Et vers. 9. dicit Apostolus, sibi commissum esse Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes; quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Sacramentum autem ibi vocat secretum incarnationis & passionis filij Dei, quod ita etiam ipsis Iudæis erat ignotum, ut illud prædicantes essent Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia; ut dicitur 1. ad Corinth. 1. vers. 23. Item ad Coloss. 1. ait Paulus sibi commissam dispensationem annunciandi mysterium (scilicet incarnationis & passionis Christi, ut patet ex contextu) quod absconditum fuit à sæculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius. Quæ verè dici non possent, si hæc mysteria fuissent in lege antiqua sufficienter reuelata, & omnibus credenda proposita, ita ut omnes potuissent illa explicite credere. Quare cum nemo obligetur ad impossibile, sequitur ne quidem necessitate præcepti homines fuisse tunc communiter obligatos supradicta explicite credere.

*162*  
*Ephes. 3.* Probatur Secundò, ex Scripturis. Ad Ephesios 3. vers. 3. dicitur mysterium Christi, siue incarnationis & mortis ipsius non fuisse agnitus superioribus sæculis, sicut reuelatum fuit Apostolis. Et vers. 9. dicit Apostolus, sibi commissum esse Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes; quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Sacramentum autem ibi vocat secretum incarnationis & passionis filij Dei, quod ita etiam ipsis Iudæis erat ignotum, ut illud prædicantes essent Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia; ut dicitur 1. ad Corinth. 1. vers. 23. Item ad Coloss. 1. ait Paulus sibi commissam dispensationem annunciandi mysterium (scilicet incarnationis & passionis Christi, ut patet ex contextu) quod absconditum fuit à sæculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius. Quæ verè dici non possent, si hæc mysteria fuissent in lege antiqua sufficienter reuelata, & omnibus credenda proposita, ita ut omnes potuissent illa explicite credere. Quare cum nemo obligetur ad impossibile, sequitur ne quidem necessitate præcepti homines fuisse tunc communiter obligatos supradicta explicite credere.

*163*  
*CONCLUSIO VI.* Etsi sententia allata num. 134. sit probabilis, tum propter auctoritatem Doctorum qui eam tenent, tum etiam propter probabiles rationes; tamen contraria non est minùs probabilis, scilicet etiam in lege gratiæ non esse necessitatem medij necessarium ad iustificationem ut quis explicite credat mysterium incarnationis, siue secundam personam fuisse incarnatam, & Christum fuisse verum Deum & hominem, & pro nobis in cruce mortuum ac resurrexisse: atque adeò sufficere ut hæc implicite credat, credendo explicite eum esse mediatorem & saluatorem nostrum. Ita Richardus in 3. d. 25. art. 4. quæst. 1. Vega libr. 6. in Trident. cap. 20. Sotus in 4. d. 5. quæst. 1. art. 2. Corduba lib. 2. quæst. 4. proposit. 3. Michaël Medi-

*Richard.*  
*Vega.*  
*Sotus.*  
*Corduba.*  
*Medina.*

na lib. 4. de Recta in Deum fide cap. 10. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 21. §. 2. vbi etiam alios citat. Suarez in 3. p. tomo 4. disput. 4. sect. 2. num. 17. in fine. Emmanuel Sà v. Fides, num. 1. Turrianus 2. 2. disp. 27. dub. 7. Vbi ait i. dem docuisse Vasquez. Inlinuat eam aperte D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. Nec refert quòd Sotus, Corduba & Medina supradicant fidem explicitam esse necessariam necessitate medij, quia statim subdunt ab hac tamen necessitate exculare inuincibilem ignorantiam; atque ita expresse ostendunt se reipsa nobiscum sentire, etiam minùs commodè loquantur. Eandem tenent Bañez, Canus & Castro, citati num. 143. etsi malè plus requirant ad salutem, quàm ad iustificationem. Pro eadem etiam citari possent Scotus & Gabriel, quos num. 137. & 138. ostendi magis huic sententiæ fauere quàm contrariæ. Eandem tenent multi recentiores apud Turrianum suprà & Lorcam 2. 2. disp. 22. num. 1.

Probatur hæc sententia. Primò, quia videtur communior Theologorum. Secundò, quia quando Patres agunt de fide absolute necessaria ad salutem, & sine qua nullo casu potest ad ultus iustificari, non distinguunt inter fidem veterum & nostram: ut facile est videre ex locis pro contraria sententia citatis, & magis patebit in solutione argumentorum: atqui, ut constat ex dictis, non erat antiquis maior fides necessaria necessitate medij: ergo nec iam maior est necessaria. Tertio, quia hæc necessitas, cum grauissima sit, non debet induci sine euidenti ratione; nec ad eam probandam aliqua congruentia sufficiunt: atqui, ut patebit ex solutione argumentorum, nulla talis ratio potest adduci: ergo non est asserenda. Quarto, tota ratio, quantum nos possumus conijcere, cur Deus voluerit fidem in Christum esse medium absolute necessarium ad salutem, est quia nemo potest iustificari sine meritis Christi, & gratia per eum accepta, & consequenter nisi sit membrum eius; & Patres, præsertim Augustinus, semper hanc rationem adferunt, cur fides Christi sit necessaria, ut ostendimus num. 154. & 155. atqui eodem planè modo antiqui per merita & gratiam Christi iustificati sunt, & fuerunt eius membra, sicut nos: ergo ex necessitate medij, debuerunt tam explicite in eum credere, ac nos; quæ enim fides sufficit ut tunc potuerint fieri Christi membra, etiam iam sufficit.

Dices, esse diuersam rationem, quia iam Christus est magis explicite nobis reuelatus, quàm fuerit antiquis: ergo iam debemus magis explicite in eum credere. Respondeo inde solùm probari fidem magis explicitam esse iam necessariam necessitate præcepti, à qua excusatur inuincibilis ignorantia. nam loquendo de necessitate medij, à qua nulla quantumvis inuincibilis ignorantia excusat, eiusmodi necessitas nullo modo potest probari ex eo quòd hoc mysterium iam sit pluribus hominibus magis explicite reuelatum. Inde enim solùm probari potest eam fidem explicitam iam esse necessariam



Magis explici-  
tiora reuelati-  
o solum  
inducit ma-  
iore necessi-  
tatem præ-  
cepti.

166

nam iis, quibus hoc mysterium magis explicite reuelatum est, aut qui potuerunt id magis explicite cognoscere: secus autem est de iis quibus non potuerunt magis explicite cognoscere; nam respectu horum se habet ac si non esset magis explicite reuelatum. Nam quod alijs sit magis explicite reuelatum, ad ipsos, quibus de facto non est ita reuelatum, non spectat. sicut quod olim Prophetis mysterium incarnationis fuit explicite reuelatum nullam id explicite credendi necessitatem inducebat alijs, quibus non erat ita reuelatum. Cum igitur necessitas medijs æqualiter spectet ad omnes, hæc ex illo argumento nequit probari; sed solum maior necessitas præcepti.

Confirmatur: quia alijs dicendum esset, Iudeos, quibus in lege erat magis explicite Christus reuelatus quam alijs Gentibus, necessitate medijs debuisse habere magis explicitam fidem Christi, quam Gentes; & inter hos posteriores magis explicitam, quam anteriores: quia his per Prophetas, & præsertim per Dauidem in pluribus psalmis; & per Isaiam & Ieremiam, Christus eiusque natiuitas ac mors erant longe magis explicite reuelata. nam psalmo 21. passio Christi tota valde explicite describitur. illud autem ab omnibus communiter reicitur. quare consequenter dicendum est magis explicitam reuelationem solum inducere maiorem necessitatem præcepti, non autem medijs.

167

Ad primum argumentum positum num. 139. Respondeo illum locum D. Marci nihil facere ad rem, quia solum loquitur de iis quibus Euangelium erat prædicatum, quique ideo nequeunt habere eius ignorantiam inuincibilem, & consequenter peccant non credendo.

Ad auctoritatem D. Bernardi, Respondeo eum ibi videri docere fidem esse necessariam necessitate medijs; sed non explicare quam hæc fides debeat esse explicata, atque ita facile potest intelligi iuxta nostram conclusionem, nec enim habet vllum verbum, quod nos cogat eum aliter intelligere. & quamuis suam sententiam confirmet ex loco D. Marci citato; tamen non docet absolute hunc esse loci illius sensum, sed solum suam sententiam posse probabiliter ex illo colligi: nam dicit fortè ideo Salvatore ea ratione ibi locutum, vt sciremus nos aliquando posse saluari sine baptismo, numquam tamen sine fide.

Ad loca D. Pauli ad Corinthios, & Romanos, Respondeo inde solum probari aliquam fidem, saltem implicitam, in Christum esse omnibus omnino necessariam necessitate medijs (nam etiam antiquis Christi fides fuit fundamentum super quod debuerunt necessariò edificare) & ijs, quibus sufficienter mysteria illa annunciata sunt, ex præcepto necessariam esse fidem eorum explicitam.

168

Ad locum Iohannis 3. Respondeo Christum ibi loqui etiam de antiquis Patribus, & docere omnibus omnino ad salutem necessariam esse

Coninck de act. supernat.

ac fuisse credere in nomine vnigeniti filij Dei, & mortem ipsius.

Quare hic locus non potest intelligi de fide illorum mysteriorum explicita, nisi velimus hanc antiquis etiam fuisse necessariam. Ad probationem contrariam ibi adiunctam, Respondeo eam potius pro nobis facere: nam etsi vt læsi in deserto sanarentur, necessarium fuerit eos aliquo modo explicite serpentem æneum oculis videre; non tamen erat necesse eos videre eum omnino distinctè, ita vt possent distinctè cognoscere ipsius materiam & formam: nam alijs non suffecisset eum eminus videre, atque ita plurimi, qui fortè ob multitudinem, aut ob defectum temporis aut virium non potuissent propius accedere, debuissent necessariò mori. quod videtur incredibile. Et similiter omnes infecti peccato vt sanentur debent explicite credere in Christum mediatorem; atque ita aliquo modo credere etiam eius natiuitatem & mortem; tamen non est absolute necesse vt hæc distinctè intelligant.

Idem Respondeo ad locum allatum ex Iohannis 17. nam fides in Deum & Christum mittendum fuit etiam antiquis via necessaria ad vitam æternam. Quod confirmatur: quia, si ibi fuisset requisita fides omnino explicita, vt alij volunt, debuisset etiam fieri mentio Spiritus sancti: nam secundum eos necessaria est cognitio explicita mysterij Trinitatis.

Ad loca ex S. Augustino citata num. 140. Respondeo eum omnibus locis, quibus docet fidem Christi necessariam esse ad salutem, ita vt nulla ignorantia excuset, eandem fidem requirere in antiquis ac in nobis: vt facile patebit loca citata inspicientibus, & clarè ostendi supra num. 133. tam ex ipsius verbis quam ex ratione, qua suam sententiam probat, quia scilicet omnibus semper fuit necessaria gratia Christi, quæ fuit æqualiter necessaria antiquis & nobis.

169

Dices, D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 14. & epistola 49. q. 2. docet, fidem veterum fuisse magis occultam & varijs adumbrationibus velatam, nostram verò esse magis apertam & explicitam: ergo vult nobis ad iustificationem magis explicitam fidem esse necessariam, quam illis.

170  
August.

Respondeo, negando consequentiam: nam dictis locis non disputat quid illis aut nobis fuerit necessariò credendum ad salutem; sed qua ratione fuerit eadem fides & religio in veteri & noua lege: docetque nostram fidem esse eandem cum fide antiquorum; illius tamen mysteria nobis clariùs esse reuelata, quam illis. quod autem ipsi mysterium incarnationis aut passionis Christi minùs explicite debuerint credere vt possent iustificari, quam nos, ibi nec dicit nec insinuat: imò contra Faustum loco citato potius contrarium insinuat, dum ait: Ex qua (scilicet reuelatione fidei) licet adhuc operata & abscondita, munere tamen pietatis intellecta etiam tunc ipsi vivebant. Vbi insinuat eos fidei mysteria etsi velatè sibi reuelata, tamen fidei lumine & pietatis studio satis intellexisse.

Z 3

Nec



171

Nec obest, quod dicta epistola 49. dicat antiquos utrumque Christum intellexisse; quia ut summum inde colligitur illos communiter mysteria fidei minus clarè & distinctè intellexisse, quam iam intelliguntur; quod autem iam maior siue distinctior cognitio sit ad salutem necessaria, nec ibi, nec ullibi insinuat. Adde, illud utrumque posse aliter, & fortè magis ex mè- te S. Augustini & accommodatius contextui intelligi; ut non significet imperfectionem intellectionis, sed varium modum siue rationem intelligendi, quæ tunc in diuersis fuit, quia aliqui mysteria fidei intellexerunt per immediatam reuelationem, alij ex figuris legis, alij ex traditione, &c.

172

Ad ea autem quæ ipse libr. 1. de Prædestinatione cap. 7. docet de Cornelio, si ipse senserit Cornelium ante prædicationem Petri verè non fuisse iustum; dicendum est ipsum putasse Cornelium prius ne quidem implicitam habuisse fidem Christi; atque idè non potuisse iustificari. Quid autem de Cornelio senserit, mihi non est omnino clarè compertum, nec ex ijs verbis potest clarè colligi. Nam tra&at. 13. in Iohannem, & lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & alibi, simili modo videtur dicere neminem quantumvis caritate feruentem, posse iustificari, aut à peccatis liberari ante baptismum re ipsa susceptum: quod tamen, prout verba sonant, nequit sanè intelligi, & ipi S. Augustino apertè repugnat. Vide quæ dixi tomo 1. de Sacramentis quæst. 68. num. 32. Et eodem modo respondendum est ad locum Chrysostomi, qui apertè videtur supponere Cornelium solum habuisse naturalem Dei cognitionem: hanc enim tota illa homilia cum fide Christi comparat, & sine hac insufficientem dicit.

Locus citatus ex Irenæo nihil facit ad rem. Loquitur enim solum de hæreticis, nolentibus credere mysterium incarnationis sufficienter sibi propositum.

Ad D. Bernard. respondi num. 167.

173

Ad argumenta allata numer. 141. Respondendo ea solum probare nos teneri ea omnia saltem implicite credere, aut etiam explicite quando sufficienter nobis proposita sunt, ita ut scienter non adhæreamus contrarijs erroribus: nam aliàs probarent omnes teneri explicite credere Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, & reliqua omnia quæ in Symbolo Athanasij continentur; nam de his omnibus ibi dicitur, *Hæc est fides Catholica*, &c. imò probarent omnes necessitate medijs debere explicite credere omnia quæ docet fides Catholica, quia explicita horum omnium fides est fides Catholica. hæc autem apertè absurda sunt.

174

Ad primum argumentum ex ratione positum num. 142. nego consequentiam: si enim aliquid probaret, sequeretur, nullam omnino etiam implicitam fidem incarnationis esse medium ad iustitiam necessarium; nam in baptismo nulla huius necessariò fit professio, sed solum Trinitatis. Quare quod in eo hæc professio fiat, ex particulari Dei instituto fit, ob causas, quæ in materia de baptismo explicari solent, nec ad alios casus extra baptismum tra-

hendendum est, nisi in ijs proberetur particulare Dei decretum.

Ad primam confirmationem, nego antecedens: quia paruuli in baptismo nihil explicitè credunt per se, nec etiam necessariò per suos parentes aut baptizantes, quia hi possunt esse infideles, ut ostendi in materia de baptismo.

Ad secundam confirmationem, neganda est consequentia, ut patet ex dictis.

Ad secundum argumentum, nego minorem eiusque probationem. nam si loquamur de Iudæo fidei, in hoc quod ad fidem attinet, differt à Christiano, quod ille præcisè credat Christum olim fuisse nasciturum, hic verò credit eum iam natum esse, & aliàs sequeretur, Prophetas qui explicitè crediderunt mysterium incarnationis, non fuisse Iudæos, sed Christianos. à Iudæo autem infideli distinguimur, quia ipse non credit Christum natum esse, & mysterium Trinitatis negat: nos autem utrumque credimus.

CONCLUSIO V. Loquendo de necessitate medijs, præcisè non requiritur maior, siue magis explicita fides ad perueniendum ad regnum cælorum, quam requiritur ad iustificationem. Est communis Theologorum, paucis supra citatis exceptis.

Probatur Primò, ex Trident. sess. 6. c. 16. ubi Trident. dicitur, *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuina legi pro huius vite statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, sit athen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censentur*. Vbi apertè docet, iustificatis in gratia decessentibus nihil deesse, quo minus vitam æternam consequantur. quod fallum esset, si aliqui decessentes iustificati possent cælo perpetuò excludi.

Nec refert quod Concilium ibidem dicat, tales etiam ceteri plenè legi diuina satisfecisse, quia hoc intelligendum est, quantum nimirum hoc fieri potuit; ita scilicet ut nulli præceptum culpabiliter omiserint. Ita autem credentes nullum præceptum fidei culpabiliter omittunt, alioqui non iustificarentur.

Probatur Secundò, quia est aperta sententia D. Augustini l. de Natura & gratia c. 2. ubi docet, si heri posset, ut quis impleter legem naturæ & perficeret iustitiam ab ipse fide sanguinis Christi, eò quod inuincibiliter Christum ignoraret, eum debere esse securum de regno cælorum: & addit: *Non enim iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ: si ijs non est annunciatum sacramentum diuinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne*. Quæ apertè essent falsa, si quis verè iustus ob inuincibilem ignorantiam mysterij incarnationis, aut alterius articuli fidei posset excludi cælo: quia talis nullo modo posset esse securus de præmio.

Probatur Tertiò, quia talis est verè filius Dei, & consequenter heres Dei, ac habens ius ad regnum cælorum: ergo si sine peccato mortali moriatur, Deus dabit ei hereditatem siue gloriam cælestem; quia ipse numquam negabit nobis ius nostrum, aut faller fidem, qua

Ut infans ritè baptizetur, nec per alios aliquid necessarium credum.

Differentia inter hilem Christiani & Iudæi.

175

176

August.

177



Trident.

1. Iohann. 4.

Rom. 3.

qua hereditate promissit filijs. vt docet Trident. sess. 6. c. 16. Antecedens expressè habetur 1. Iohannis 4. vbi dicitur, *Caritas ex Deo est. & infra, Deus caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet. & Deus in eo.* Item ad Rom. 3. de omnibus iustis dicitur, quod spes eos non confundat; *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* vnde iisdem c. 8. dicitur: *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei; si autem filij, & heredes, &c.* Omnes autem iusti habent in se caritatem, Deumque diligunt, & spiritu Dei aguntur, & consequenter ex Deo nati sunt, ac filij ac heredes Dei, nec spes potest eos confundere, aut hereditas promissa deficere, si sine peccato mortali moriantur.

178

Dices, tales habituros quidem regnum cælorum si sine peccato mortali moriantur; fieri tamen non posse vt ita moriantur, quia si se conferunt à peccato mortali, Deus ijs reliqua mysteria fidei reuelabit.

Sed hoc sine fundamento dicitur, præsertim cum fieri possit, vt quis cum tali fide iam moriturus conteratur; & statim moriatur. Quod autem Deus eo casu ipsius vitam miraculose prolongabit, donec mysteria fidei exactius didicerit, sine ulla ratione dicitur.

179

Ad argumentum de Cornelio quod contra obijciebatur, Respondeo Primò, si ille fuerit verè iustificatus ante aduentum Christi, ipsum sine dubio iturum fuisse ad cælum, si tunc fuisset mortuus. Nec hoc vniquam D. Augustinus negasset, ad cuius verba respondi supra numer. 172.

Cornelius  
fuit iustus  
ante S. Petri  
ad eum ad-  
uentum.

Respondeo Secundò, verius videri eum prius fuisse iustificatum (vt etiam communior tenet opinio) quia in Scriptura eodem cap. 10. dicitur vir religiosus & timens Deum. quod de peccatoribus Scriptura numquam dicit: habuit ergo ille fidem implicitam Christi, quam ex Iudæis didicerat; missus tamen est ad eum Petrus vt eum plenius in fide instrueret, ne hanc tandem ex ignorantia vincibili ignoraret, atque ita iustitiam & cælum perderet. Et hac fortè sola ratione D. Augustinus voluit ei Petri concionem fuisse necessariam.

180

Mysterium  
Trinitatis &  
incarnatio-  
nis equaliter  
explicite  
credenda  
sunt.

CONCLUSIO VI. Idem dicendum est de fide Trinitatis, ac de fide incarnationis; nam quicumque Doctores huius exigunt explicitam fidem ad iustificationem, id faciunt quia mysterium incarnationis nequit explicitè & distinctè credi, sine explicita fide Trinitatis; & quicumque illam non requirunt, nec hanc requirunt. Quod vel inde etiam colligitur, quia mysterium Trinitatis tum primùm incepit palam omnibus proponi credendum, quando mysterium incarnationis erat ita saltem ex necessitate præcepti credendum.

## D V B I V M X.

*Quæ sint necessariò explicite credenda ex necessitate præcepti?*

Nota Primò, nos dupliciter posse ex præcepto diuino aut naturali obligari aliqua explicitè credere. Primò per se, & quatenus Christiani sumus: qualia sunt ea omnia sine quorum fide non possumus fungi officio hominis Christiani, sine prout decet Christianum viuere. & constat hæc ab omnibus Christianis necessariò esse credenda, quia omnes tenentur Christiano more viuere, & Christiani hominis officio fungi. Secundò, ratione particularis alicuius officij, quo quis fungitur, aut ratione alterius actionis quam hic & nunc vult aut etiam tenetur exercere; quia constat quemuis obligari vt habeat cognitionem necessariam, vt possit conuenienter obire munus, quo fungitur: cum autem in diuersis sint huiusmodi actiones aut officia diuersa, constat in diuersis etiam diuersam cognitionem requiri.

181.  
Obligamur  
quedam cre-  
dere per se,  
quædam per  
accidens.

Solent igitur Doctores hac de re disputantes tres classes hominum constituere; scilicet maiorem, mediorum, & infimorum. Per priores intelligunt Episcopos, & similes Prælatos, quibus incumbit ipsam Ecclesiam regere, & ipsos etiam Pastores docere. Per secundos intelligunt Pastores, concionatores, & similes, quibus incumbit plebem in rebus fidei instruere. Per tertios intelligunt reliquam plebem.

Diuerſa ad  
diuerſa cre-  
denda obli-  
gantur.

182.  
Homines  
maiores, me-  
dij, & infimi.

Nota Secundò, Doctores ferè communiter in hac quæstione non tam quærere quid singuli teneantur explicitè credere actu fidei propriè dicto (nam multa enumerant etiam inter ea, quæ omnes tenentur scire, quæ non tenentur propriè fide diuina credere: qualia sunt præcepta Ecclesiæ) sed quid teneantur quatenus fideles sunt explicitè scire, siue ea fide diuina credant, siue aliter cognoscant.

183

Nota Tertiò, duplicem posse hinc disputari difficultatem. Primò, an circa res fidei sufficienter à nobis cognitæ teneamur aliquando elicere verum actum fidei, & quando? Secundò, quænam obiecta fidei, aut aliæ Christiano homini necessariò cognitæ teneamur explicitè cognoscere, vt possimus circa ea actum fidei dum necesse erit elicere, aut earum cognitione alia ratione in functionibus Christiani hominis vtij, & consequenter quam diligentiam teneamur in ijs addiscendis adhibere? Quæ in re præcipua difficultas est circa tertium genus hominum ex numeratis num. 182.

184

Omissa igitur hæresi quorundam sectariorum, quos citat Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. puncto 6. qui docent sufficere credere in verum Deum & Christum, imò, vt alij quidam, in solū Deum, atque adeò qualis sectas credentes vnū Deum posse in sua fide saluari: fuit etiam error quorundam Iuristarum, quos citat Sanchius l. 2. in præcepta c. 3. docentium sufficere rudioribus explicite generatim credere quod credit Ecclesia, atque ita omnes articulos fidei implicitè credere. Sed hos satis refutauit dub. 9. vbi ostendit

185  
Valentia.

Sanchius.